

lapides fusi in crystallum adiuncto sale ad hoc proportionato
vnum quid homogeneū fūt sensibiliter, nempē crystallum per-
lucidum componunt sui mistione ; & tamen dempta arte chy-
mica iterum lapis separatur a crystallo, videlicet ille opacus , al-
tera perlucida: cū igitur aliquid extrahi non possit, nisi id, quod
in illo manet , sequitur quod si res etherogeneæ extrahuntur,
ex illis composita res sit; vndè apparet, quod Aristotelici existi-
ment absurdum id , quod verum est , & sensibus tangitur , sic a
me defensum fuit pluribus in disputationibus Florentiæ anno
1643. 1644. 1645. coram hominibus doctissimis ipsis contra me
arguentibus. Fiat igitur mistum, siue corpus naturale physicum
ex solis etherogeneis materijs, seu ex elementis inter se pugnantib-
us antecedenter , ratione cuius pugnæ partes corum vicissim
minutatim intersecatae sint , & imperceptibiles sensibus redactæ,
atque simul confusa, cum aliquo tamen ordine , & symmetria ,
talis corporis compositio erit sola mistio , eritque vnum per se
substantiale, substantialiter vnitum, essentialiter factum , seu ge-
natum vnum per se, non secundum accidens , atque adeo habe-
bit in se naturam , scū natura erit vere , & propriè iuxta naturæ
definitionem etiam ab eis admissam : vndè aperte apparet idem
esse mistionem , ac generationem physicam, dummodo mistio
physica sit, videlicet facta ex elementis inter se pugnantibus , &
& per pugnam ad symmetriam , & debitum ordinem redactis , &
diuersæ mistiones, diuersæ generationes sunt, quia diuersæ cō-
binationes fiunt, atque adeo diuersa composita , iuxta diuersas
combinationes elementorum, vt dicā in materia de generatione

S V B S E C T I O II.

Obiectiones contra positam conclusionem soluuntur.

31 **O**bijcies primo, in Concilio Viennensi sub Clemente V.
propt̄ refertur in Clementina de Summa Trinitate, &
fide Catholica cap. 5. & in Cōcilio Lateranēsi cōfirmatur cap. 3.
fest. 8. sub Leone X. vbi declaratur hæreticum esse dicere ani-
mam rationalem non esse veram corporis formam ; ergo datur
forma substantialis in rerum natura , & per consequens materia
prima , quando ad inuicem relationem dicant, & non datur re-
latuum absque correlatiuo.